



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Institutiones Canonicae Sive Ius Ecclesiasticum

Wiestner, Jacob

Monachii, 1706

Titvlvs XXVIII. De Clerico non Ordinato Ministrante.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62649](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62649)

qua causa dictionem, *Graviter*, quam *c. fin. cit. pr.* expresse rat, *V. Peccat autem*, à Papa ideo omiffa aiunt; quòd Sacramenti collatio non, ut perceptio lethalem, sed venialem tantum contineat culpam. Ita

cum Anchorano in *c. cit.* & Hostiensis *Summa*, n. 2. Sotus in *4. diff.* 22. q. 2. art. 3. Covarruvias in *c. Alma* p. 1. §. 8. n. 2. Palao *Tract.* 29. *disp.* 2. p. 21. n. 10. & Barbosa in *c. fin. cit.* n. 6.



TITVLVS XXVIII.

De Clerico non Ordinato Ministrante.

SUMMARIUM.

1. In Ordine non suscepto ministrans incurrit excommunicationem,
 2. Suspensionem ad tempus ab Ordine proximè suscepto,
 3. Et irregularitatem, obstantem susceptioni Ordinum superiorum:
 4. Si tamen ministrans istius sit capax,
 5. Et actum Ordinis proprium temerè ac ferid,
 6. Etiam sine intentione internâ exerceat.
 7. Eadem à Clerico, primâ solum tonsura initiato, contrahitur, Minoris:
 8. A Sacerdote Episcopalis,
 9. Et probabiliter à laico, cuiuscunque Ordinis actum exercente:
 10. Qui tamen verisimilius irregularitatem non incurrit.
 11. In irregularitate, temerariò Ordinum usu contrahitâ, Papas dispensat.
- I. Circa Ordinum usum clerici etiam & graviter delinquant, actum Ordinis, quem non habent, exercendò, vg. Diaconus Missam

celebrandò, baptizandò solenniter, vel sic aquam aut nuptias benedicendò: quod temerè præsumentes triplicem poenam incurrun.

Prima est Excommunicatio, *c. 1.* Eam tamen non ipsò jure & factò incurri, sed per sententiam à iudice infligendam, ex *V. Abjiciatur*, ministerium hominis exigente, colligit Suarez de *Censur. disp.* 42. *f. 4. n. 2.* & Pirrhing ad hanc *Rubr. n. 3.* Secunda, Suspendio ab exercitio Ordinis proximè suscepti, ad biennium vel triennium infligenda Diacono, qui Missam celebrare &c. præsumpsit, *c. fin. Proximè*, inquam, *suscepti*: non, ut aliqui volunt etiam aliorum Ordinum inferiorum; quia *c. cit.* poenalis & odiosa dispositio ab expresso ad non expressos Ordines porrigenda non est, *arg. Reg. Quidam 15. in 6. cit.* Suarez n. 4. & Pirrhing n. 3. Tertia & præcipua est Irregularitas, vi cuius saltem ad superiores Ordines nequeunt promoveri, ut colligitur ex *cc. cit.* Verbis, *Nunquam ordinetur*, inducentibus irregularitatem saltem partialem, obstantem nondum obtentorum Ordinum susceptioni: non etiam inferiorum ritè obtentorum exercitio; cum in Ordine non suscepto, vg. diaco-

vg. Diaconum in Sacerdotali ministrare presumptentem, à solius proximè suscepti sive Diaconatus usu, & quidem ad biennium duntaxat vel triennium, pro arbitrio Episcopi suspensum, declaretur *c. fin. cit.* quâ suspensione nondum ablata, si in diaconatu temerè ministraret, tum demum tanquam propriæ censuræ violator contraheret irregularitatem, antè susceptorum Ordinum omnium exercitio obstantem, Suarez *de Censur. disp. 42. s. 4. n. 4.* Coninck *disp. 18. dub. 6. conclus. 1.* & Gonzalez *in c. fin. cit. n. 1.*

- Porro ut irregularitas ista contrahatur DD. exigunt Primò; ut, qui in Ordine non suscepto ministrat, irregularitatis capax, ac proinde mas sit & baptizatus; quia femina & nondum baptizatus, hęc ipsò; quod Jure Divino incapaces sint Ordinis, juxta dicta *Lib. 1. Tit. 11. à n. 48.* incapaces etiam sunt irregularitatis, quæ est Ordinis vel ejus usûs privatio; atque idcirco subjectum aptum, & formæ sive Ordinis capax supponit, Suarez *cit. s. 4. n. 20.* & Pirrhing *ad hanc Rubr. n. 8.* Secundò; ut exerceat actum Ordinis proprium & eò modò, quò vi Ordinis solet, & non nisi ab ordinatis licitè potest exerceri: sicut contingeret, si simplex Sacerdos conferret SS. Ordines; si Diaconus sacrificaret, pœnitentem absolveret, baptizaret solemniter, extremam unctiõnem ministraret &c. si Subdiaconus Evangelium cum stola, Acolytus cum manipulo Epistolam decantaret &c. ut *ad Rubr. præced. à n. 11.* est dictum, & cum Navarro *Manual. cap. 27. n. 242.* & aliis docet *cit. Suarez n. 1.* Tertio; ut id faciat temerè, *cit. c. 1. ibi, Propter temeritatem,* ac proinde scienter, non inculpabili ignorantia; quia irregularitas ista est pœnalis, supponens actum culpabilem, non ab ignorantia inculpa procedentem, Suarez *n. 16.* Quarto; ut actio sive Ordinis

exercitium saltem externum fiat seriò; quia id solum jocò, sive per modum ludicræ aut scenicæ actionis faciens, in Ordine ministrare, eumve exercere non censetur: sed ejus exercitium ac ministerium solummodo representare, *cit. Navarrus n. 241. Suarez n. 16. & cum ipsis Bonacina Disp. 7. de Irregul. q. 3. p. 6. n. 1.*

Sicut hunc, sic etiam actionem externam quidem seriò, sed sine intentione actum Ordinis exercendi, ponentem ab irregularitate absolvit Navarrus *cap. cit. n. 242.* quòd sine ejusmodi intentione exercitium Ordinis non sit perfectum. At verius, hunc irregularem, cum *cit. Suarez n. 18.* censent Laiman *Lib. 1. tract. 5. p. 5. cap. 3. n. 1. & cit. Pirrhing n. 6.* ex ratione quòd sacri Canones externum ministerium Ordinis à non ordinato seriò exercitium punire, intenderint: & si id non intendissent, non ordinati impostores fidelibus facile illuderent, & eluderent sacris Canonibus introductam irregularitatem, Sacramentorum administrationem & Ordinum ministeria externo opere perfecta sicutè administrandò. Imò irregularitate istà nemo, nisi hæreticus aut crassissimè ignorantia laborans, afficeretur; cum aliud officium Ordinis, quod sibi impossibile scit, exercendi voluntatem habere vix possit.

Non desunt, qui cum Sylvestro *V. Irregularitas q. 15.* exigant; ut ministret in Ordine sacro; quod ministrare in minoribus soleant & licitè valeant etiam laici. Sed licet ii ab his passim exerceantur, & exerceri absque irregularitate valeant à clerico, ejusmodi ordinem non habente, sed primà solum Tonfurà initiato; ab illa tamen immunis laicus & iste quoque non foret, si minorum Ordinum actus tanquã ex proprio officio, & eò, quò non nisi ab ordinatis licitè possunt, modò exerceret: ut non obscure colligitur ex

genera

generalitate verborum, *Si aliquod Divinum Officium*, ac proinde etiam actus proprios Ordinum minorum, *exercuerit non ordinatus, nunquam ordinetur*: & à paritate clerici minoris excommunicati, à quo ita ministrante irregularitatem contrahi, *ad Tit. preced. n. 11.* est dictum.

8. Dubium ex dictis oritur primò de simplici Sacerdote confirmante, sacros Ordines conferente, consecrante Ecclesias vel altaria &c. de ejus enim irregularitate dubitandi ratio est; quòd Episcopatus secundum aliquos DD. à Sacerdotali distinctus, imò Ordo non sit. Nihilominus, talem etiam sacerdotem irregularem, ut ad Episcopatum sine dispensatione promoveri nequeat, à Sacerdotali Ordine bienniò vel trienniò suspensum, cum *cit.* Suarez *f. 4. n. 7.* & aliis meritò censet Laiman *cit. cap. 3. n. 3.* cum; quòd juxta dicta *Lib. 1. Tit. 11. à n. 5.* Episcopatus reverà sit Ordo: tum verbò; quòd quoad hunc effectum ab omnibus instar Ordinis reputetur comparatione Ordinis Sacerdotalis: vi cujus ejusmodi actus ante consecrationem Episcopalem exerceri nequeunt, & per hunc primùm ad eos exercendos Sacerdos elevatur.

9. Dubium oritur secundò de laico, usurpante officium Ordinis & huic proprios actus exercente, vg. solemniter baptizante; eum enim pro irregulari habent *cit.* Navarrus *n. 242. in fine.* Suarez *f. 4. n. 10.* & Coninck *disp. 18. dub. 6. n. 45.* per moti *c. 1. cit.* textu, non ordinatum ministrantem generaliter & indistinctè, ac proinde etiam laicū, id attentantem, irregularem & meritò pronuntiantem; quòd eadem, imò major ratio stet contra laicum, in ordine non suscepto ministrandò gravius delinquentem, quàm delinquit clericus, ad Divina per primam tonsuram jam deputatus.

At, licet hoc ita sit, satis tamen probabiliter Henriquez *Lib. 2. cap. 29. n. 5.* Laiman *cit. cap. 3. n. 3.* Barbosa *in c. 1. cit. n. 4.* & alii ejusmodi laicum ab irregularitate absolvunt; partim propter *Rubricam*, expressè loquentem *De clerico*, & *Nigri*, sive *cit.* textus generalitatem ad clericos satis restringentem. Quin, si istius verbis, *Abjiciatur ab Ecclesia*, non excommunicatio, sed depositio, cujus laici capaces non sunt, infligenda decernatur, ut existimat Panormit. *in c. cit. n. 1.* ipse etiam textus de solis clericis est exaudiendus: partim verbò; quòd irregularitas in laicos jure non satis sit expressa; & extra casus eò expressos non contrahatur, *c. Is qui 18. pr. de Sent. excommunicat. in 6.*

Neque obstat primò, quòd laici Ordinum officium temerè usurpandò aequè, imò gravius, quàm clerici delinquant; quia imprimis in materia irregularitatum locus non est argumento à paritate, imò nec à majoritate rationis, per tradita ab Hostiens. *in c. fin. de Cleric. excom. n. 5.* Panormit. *in c. fin. de Jure Patron. n. 8.* Covarruvia *p. 2. de Sponsal. cap. 8. §. 5. n. 8.* & *cit.* Suarez *Disp. 40. f. 4. n. 15.* Dein; quia in Ordine non suscepto ministrare clerici frequenter: laici autem vix unquam solent. Unde in clericos irregularitatem decernendi fuit ratio specialis, ut cum *cit.* Laiman probè advertit Palao *Tract. 29. disp. 6. p. 18. n. 10.*

Neque secundò; quòd Clemens VIII. *Constitutione* quæ incipit *Et si aliàs*, edità 4. Decembr. 1601. generaliter quoscunque non presbyteros, etiam laicos, Missam celebrare, aut Sacramentalem Confessionem audire præsumentes à foro Ecclesiæ abjici, & ab Ordinibus, *Si quos habuerint*, degradatos, Curia seculari puniendos tradi præceperit; quia *Constitutio* illa non mutavit irregularitatis; quam proinde, ut olim, sic

olim, sic etiam hodie non incurrit: licet illa proditis poenis perinde, ut clerici, puniantur.

In irregularitate, quam à clericis per temerarium Ordinum usum contrahi, ad hanc & proximam Rubric. est dictum, dispensare & sacros Ordines suscipiendi potestatem concedere, antiquò Decretalium potuit solus Papa, *cc. 1. § 5. fin. de Re*

judic. & de Sent. excom. in 6. Novissimò autem jure S. Synodi Tridentina, sicut in aliis, extra homicidium, sic etiam in hac irregularitate, delictò occultò contractà, dispensare Episcopus permittitur *Sess. 24. cap. 6. de Ref. Ugolin. de Offic. Episc. cap. 57. §. 3. n. 1. Bonacina de Censur. disp. 7. q. 3. p. 6. n. 10. Palao p. 18. cit. n. 12. & Barbosa in cap. 6. cit. n. 13.*



TITVLVS XXIX.

De Clerico per Saltum promotio.

SUMMARIUM.

1. Ordines suscipiendi sunt gradatim.
2. Aliiter ordinatus ab Ordine per saltum suscepto suspensus:
3. Et, si in eo ministrat, irregularis est:
4. Non tamen suspensus est ab Ordinibus rite susceptis.
5. A minoribus suspensus est, qui primà Tonsurà:
6. Non etiam, qui Confirmatione omis-
sà, eos suscipit.

I. **P**raterea circa Ordines delinquent clerici promoti per Saltum, sive qui, uno vel pluribus Ordinibus inferioribus prætermisiss, ascendunt ad superiorem, Gonzalez *in c. Unic. n. 4.* cum enim duce Naturà, quæ à minimis incipit, & ad majora pedetentim progreditur, legibus etiam Imperialibus sancitum sit; ut gradatim & à minoribus ad majores honores perveniretur, *l. Ut gradatim 1. l. Honor 14. §. 5. ff. de Muner. & honor.* providè etiam ab Ecclesia con-

stitutum est; ut gradatim, hoc est, à prima Tonsura ad Minores, & ab his ad Majo- res Ordines ascenderetur, *can. 1. dist. 52. can. Si Officia 2. can. fin. dist. 59.* & novissimè à S. Synodo Tridentina *Sess. 23. cap. 2. de Sacram. Ord. & cap. 11. de Reformat.*

Si quis autem contra has Ecclesiæ 2. sanctiones, sive scienter sive ignorantèr, per saltum promoveretur, licet Ordinis characterem susciperet, *Glossa fin. c. Unic. ubi Panormit. n. 1. Fagnan. n. 4.* ipsò jure tamen esset suspensus, donec omisissus Ordo inferior suppleretur, *c. Unic. cit.* quò rextu relatò Innocentii III. rescriptò is, qui prætermisissò Diaconatu ordinatus est Sacerdos, primùm post collatum diaconatum in sacerdotio ministrare ab Episcopo asseritur permittendus. Idem desumitur ex *cit. Sess. cap. 14.* ubi cum promotis per saltum, si non ministraverint, idem dispensare permittitur, minimè obscurò indiciò contractæ suspensionis, *Barbosa in c. Unic. cit. n. 2. Fagnanus n. 22. & Gonzalez n. 2.* Unde

○ ○

Dubios